



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 9. Quinam possunt dispensare in Votis, & Juramentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

desinit ei subesse; quia votum erat validum absolutè, & ob solam materiæ subjectionem suspensum erat, & ejus executio jam est licita, cum nulli obsit.

Hinc vota conjugum, puberum, & famulorum perpetua, quæ tempore subjectionis vel ante emissa, suspensa fuerunt, eos obligant cum eorum materia desinit subjici alterius potestati. Unde uxori, quæ sine consensu mariti continentiam vovit, non licet nubere post ejus mortem.

Resp. III. Qui vota irritandi potestatem habent, illa validè irritant, etiam sine justa causa; quia ad validum usum juris sui non requiritur causa. Peccant tamen, si sine causa faciant, cum sit abusus potestatis contra bonum proximi, & honorem Dei.

Q. 9. Quinam possunt dispensare in Votis, & Juramentis?

Resp. I. Prælatos Ecclesiæ habere potestatem dispensandi in votis, & Juramentis. Constat. 1. ex Mat. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum... & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* &c. 18. *quacumque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cælo.* Quæ verba, utpote generalia, intelligi debent de omni vinculo voluntariè contracto ab homine erga Deum. 2. Ex perpetuo Ecclesiæ usu.

3. Quia

3. Quia ad commune bonum fidelium expedit, imò necessaria est hæc potestas.

Dispensatio autem voti est absoluta condonatio rei Deo promissæ, facta nomine, & vice Dei à Superiore tanquam ejus Vicario: qui tamen tunc non dispensat in Legge divina servandi votum; nam obligationem servandi votum non relaxat tum, cum ipsa viget: sed solùm ipsam promissionem, seu rem promissam remittit nomine, ac vice Dei, & tanquam ejus œconomus; Lex autem divina non obligat ad servandam promissionem Deo factam, cui Deus per suum Vicarium cessit.

Resp. II. Potestas ordinaria dispensandi in votis, & juramentis competit solis Prælati habentibus jurisdictionem in foro externo; nam hæc potestas ad externam Ecclesiæ gubernationem pertinet, sicut potestas ferendi leges, & censuras: unde non est ordinis, sed jurisdictionis. Hinc eam habent 1. Papa erga omnes fideles in omnibus votis. 2. Episcopi erga suos subditos in votis Papæ non reservatis; nam hæc potestas est necessaria ad regimen Episcopale. Item habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, eam dispensandi potestatem habent ut ordinem. Potestatem verò delegatam habent, qui ab iis accepere.

Vota autem Papæ reservata, præter solemnia, sunt quinque, scilicet castitatis perpetuæ, ingrediendi Religionem approba-

tam, & peregrinationis in Jerufalem, ad Li-
mina Apostolorum, & ad S. Jacobum in
Compostella. *Extravag. etsi Dominici*
de pœnit. Quæ tamen si conditionata, vel
pœnalia fuerint, dicit Toletus pertinere ad
Episcopum.

Resp III. Ex communi, ad valorem di-
spensationis requiritur etiam justa causa;
quia Deus non dedit hominibus potesta-
tem relaxandi sine causa vota, & juramen-
ta sibi facta; cùm talis remissio sit irratio-
nabilis, & honori Dei, ac bono animarum
obstet. Nec Prælati sunt Domini jurium
Dei, sed solùm ejus œconomi: at œcono-
mus nil potest circa bona, & jura Domini
nisi secundùm ejus voluntatem rationabi-
liter præsumptam. In dubio tamen de
sufficiencia causæ, potest subditus stare ju-
dicio Prælati dispensantis, vel commutan-
tis. *Ita S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2.*

Hinc, dispensans in voto gravi sine justa
causa, peccat mortaliter; quia in re gravi
ad Religionem pertinente arrogat sibi po-
testatem, quam non habet, & peccat con-
tra fidelitatem ex munere debitam. Justæ
autem causæ dispensandi hæc recensentur:
Honor Dei, utilitas Ecclesiæ, commune bo-
num reip, spiritualis utilitas voventis, peri-
culum morale sæpe violandi votum ex fra-
gilitate, levitas mentis, ex qua votum fa-
ctum est, perturbatio animi, notabilis dif-
ficultas superveniens executioni voti, aliæ-
que

que id genus, quæ generatim revocari possunt ad pietatem, utilitatem spiritualem, & necessitatem. Quanquam ex his aliquæ videantur solum sufficere ad votum commutandum; nam longè gravior requiritur causa ad dispensandum, quam ad commutandum, & rarò utendum est pura dispensatione; sed admiscenda est aliqua commutatio.

Q. 10. *Quinam possunt commutare vota?*

Not. Commutare votum est mutare materiam voti in aliam sub eadem obligatione.

Resp. I. Quisque potest privata auctoritate, & sine alia causa commutare votum suum in id, quod evidenter melius est, & aliunde non præceptum; modò id Ecclesia non prohibuerit. *Est saltem communior sententia.* Quia 1. ex cap. 3. de Jurejur. *non promissum infringit, qui in melius illud commutat.* 2. Debitum rei minus bonæ abunde, & perfectiùs solvitur Deo in re meliore, quæ semper est Deo gratior, & in qua etiam res promissa continetur virtualiter, saltem quoad finem voti, qui est rem gratam Deo facere. 3. Deus semper acceptum habet obsequium majus ei delatum loco minoris; cum magis velit à nobis fieri id, quod melius est, & ei

Oo 2

gra-